



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 60. Difficultates Nuntio Apostolico propositæ contra Synodi
receptionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

§. LX.

Sæcul. XVI.

A.C. 1564.

Difficultates Nuntio Apostolico propositæ contra Synodi receptionem.

In cassum Sedis Apostolicæ Nuntius de-
 nuo suas proposuit rationes; haud
 enim amplius a Gallis audiebatur:
 Regina quoque impellente Cancellario
 totum negotium ad duas redigebat
 difficultates per eundem Cancellarium
 propositas, quarum prima exponebat
 hæc: „Synodus prohibuit, ne Regula-
 „rium beneficia in Commendam dentur,
 „exinde autem regno adimitur via, qua
 „Princeps multos Proceres privatis suis
 „studiis addicere posset: nec minus tol-
 „luntur subsidia, quibus Rex in præ-
 „senti rerum vicissitudine eget:„ Porro
 per alteram propositionem, quæ magis
 erat generalis, declarabat, quod Cal-
 vinistæ ob anathemata in eos per Con-
 cilium vibrata aliunde offensi haud
 magis irritandi sint; tantopere enim
 Regina hocce hæreticos verebatur, ut
 Nuntio haud permittere vellet, quod
 impressa Synodi acta, & decreta inter
 Episcopos distribueret, nam illa dicebat,
 quod ipsi absque tam luculenta appa-
 ratu eadem sibi alia via procuraturi es-
 sent: verum Nuntius hoc interdictum
 flocci pendens hæc acta distribuebat,

*Pallav. c. II.
 n. 3. & 4.*

Hist. Eccles. Tom. XLVII. R §. LXI.